

Dissertatio medica inauguralis de phrenitide / [William Lewis McGregor].

Contributors

McGregor, William Lewis, 1801-1853.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Moir, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yd6rnezk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

fectu; qualia sunt suberitica, digitalis, opium, aliisque; sed, ut mihi appareret, nullo commode, nisi sanguinis detractio, aliave ex dieticis remediis, progressus fuerint.

~~Articuli sequens incipit non nisi via patet.~~

Brachyotomia dicta, ultimam medicorum consue-
tiam est, ut exempla que antecessoribus reliquerunt

DISSERTATIO MEDICA

inde operari videntur, hoc sæpe adhibent.

INAUGURALIS

Præterea in ista adhibenda, videntur tan-

DE

PHRENITIDE.

WILHELMUS

PINUS

EDINBURG

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PH.D. THESIS

PHILIP H. HARRIS

D. GEORGE BARRIS, M.D.
DISSERTATION

DEPARTMENT OF MEDICAL HISTORY
UNIVERSITY OF CHICAGO

PH.D. THESIS

DEPARTMENT OF MEDICAL HISTORY

PHILIP HARRIS

CHICAGO, ILLINOIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PH.D. THESIS

DEPARTMENT OF MEDICAL HISTORY

PH.D. THESIS

DEPARTMENT OF MEDICAL HISTORY

UNIVERSITY OF CHICAGO

(16)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
P H R E N I T I D E :
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS L. M^cGREGOR,
SCOTUS.

Quid igitur? Multa in præcipiti periculo

Recte fiunt, alias omittenda.

CELSUS de Medicina, Lib. III.

Kalendis Augusti, horú locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXV.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHRENITIDE:

D. GEORGI BAIARD, SS. T. P.



GULIELMUS L. MCGREGOR

EDINBURGH

MDCCCXX

DISSERTATIO MEDICA

INICORPUS

VIRO ADMODUM GENEROSO,

SAMUELI NEED,

DUCI MAJORI;

OB MULTA BENEFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN EUM COLLATA:

HOC OPUSCULUM,

UTCUNQUE INDIGNUM;

GRATI ANIMI PIGNUS,

SUMMA OBSERVANTIA;

DEDICAT

AUCTOR.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

SAMUEL L. NEEB

1911

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE CITY OF CHICAGO

BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

GRATI ANIME TIONIBUS

FUNDAM. CIBERNANTIA

PUBLICAT

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHRENITIDE.

AUCTORE GULIELMO L. M'GREGOR.

PROCEMIUM.

QUONIAM oportet eos Medicinæ summos honores in hac almâ Academiâ petentes, aliquid scribere de re medicâ, vel aliis scientiis cum ea conjunctis; pro tentamine hujusmodi Phrenitidem seu inflammationem cerebri, selegi; quia inflammatio, quacunque in corporis parte accidat, ac præcipue cum organum cujus munera vitæ necessaria sunt, invadit, haud parum attentionis sibi vindicat. Quum primum inflammatio partem vitalem adoritur, signa maxime gravia per totum corpus, eam comitari necesse est: ac si remedia ad vehementiam morbi occurrendam, vel saltem ejus impetum

minuendum non celeriter ac pertinaciter usurpantur; nihil aliud sperandum, quam morbum exitum lethalem esse habiturum; vel mutationem partis affectæ morbosam functionibus corporis sani minime accommodatam effecturum.

Cerebrum, haud secus ac cæteræ partes, inflammationi obnoxium est; atque nil mirum erit, hanc affectionem organi vitæ omnino necessarii signis vehementibus tum capitis tum partium aliarum, quibus cerebrum connectitur, illo miro nexu seu consensu qui hoc organum inter ac cætera intercedit, comitari. Hinc bene notum, quam periculosa semper Phrenitis habeatur; haud raro auxiliis omnibus frustra adhibitis ad ejus cursum frænandum. Quod ad sedem hujus morbi attinet, duas opiniones de hac re medici excogitârunt; alii scilicet membranæ, alii cerebro ipsi inflammationem tribuerunt; hinc meningitis illam et cephalitis hanc affectionem exprimere solet. Ut morbus nunc membranæ, nunc cerebro accidit, ac uterque seorsim existit, certe verisimile

videtur ; sed nulla mortem signa præeunt, quibus sedem morbi cognoscere possimus ; præterea, hoc discrimen facere nihil refert, quoniam eadem ratione medendi opus est, sive membranæ, sive cerebrum ipsum afficiatur. Sæpe autem ubi æger signa Phrenitidis omnia ostendens, moritur, corpore aperto, nil fabricæ morbosæ vel indicii inflammationis aut in membranis aut cerebro detegi potest : ex hoc patet, quam parum certi de natura vel morbis generis nervosi adhuc cognoscatur : nec verisimile est multum de his notum iri quamdiu notitia “ illius divinæ particulæ” quæ actiones corporis humani regit atque efficit, tanta caligine obtegitur. Sed quod ad morbum de quo agitur attinet, observandum est, sedes inflammationis ante mortem vix detegitur, sic affectus duo sub eodem morbo describi solere : clarus igitur CULLENUS in Phrenitide definienda, sub hoc nomine inflammationem cùm cerebri tum ejus membranarum includit ; atque ita morbum describit, “ Pyrexia vehemens ; dolor capitis, rubor faciei et oculorum ; lucis et soni intolerantia ; pervigilium ; delirium ferox vel typhomania.”

DE SYMPTOMATIS.

CAPITIS dolor vehemens, ac ejus sedes haud bene definita; modo pars unica, modo caput totum afficitur; nunc externus, nunc magis profundus dolor existit. Pulsus aliquando exilis plerumque vero frequens, validus, atque durus: sanguinis caput versus impetus immanis, ut plane indicatur ab ictu carotidum pariter ac faciei rubore, qui, prout morbus intenditur, major majorque evadit. Vultus ferox mente capti instar accedit: inquietudo; mentis aberratio ac delirium per paucos dies nonnunquam sese haud ostendunt. Cum morbus ad finem exitialem tendit, oculi tumidi ac veluti ex suis sedibus exulturi apparent. Respiratio fere profunda lentaque, singultibus intercepta, raro frequens; nervorum distentiones accedunt; fluxus bilis augetur adeo ut cutis flavescat; artuum tremores; dentium stridor; faciei pallor; colli vultusque sudores; alvi dejectiones invitae; coma, pulsusque debilis mortem praecedere solent.

DE CAUSIS REMOTIS.

PHRENITIDIS causae, haud secus ac morborum caeterorum, in praedisponentes, scilicet, quae proclivitatem dant, et excitantes, diduci possunt. Debilitas ex quacunque causa suam originem ducat, tonum generis nervosi minuendo, atque ita proclivitatem morbis pluribus inducendo, haud inmerito Phrenitidis causa praedisponens ducenda est.

Quod ad causas excitantes attinet, nôsse juvat, hunc morbum sine ulla causa manifesta nonnunquam accidere; multo tamen saepius ex causis inflammationis generalibus quaeque nimirum impertiunt vasis cerebri impetum, oriri solet: nam utcunque primò mirum videatur, experimentis Doctoris KELLIE est probatum; copiam sanguinis caput versus internam non posse augeri: sed quamvis de hac re satis constat, impetus hujus fluidi causis variis corpori admotis intendi potest: ac hoc esse verum, Doctor ALISON in suis praelec-

tionibus, sat superque ostendit: hae causae sunt liquores meraciores immodice hausti; insolatio, maxime in regionibus calidis; corporis exercitatio nimis diu producta; animi affectus vehementes; ira, moeror, amoris infelicis impetus; studium quoque intentum; venus nimia; evacuationis solitae suppressio, veluti haemorrhoidum maribus vel mensium faeminarum; vulnera; contusiones aliaeque injuriae capiti illatae; quaedam venena; harum omnes aliis atque aliis temporibus causae Phrenitidis excitantes fieri possunt.

DE SIGNORUM RATIONE.

PROXIMUM est, ut rationem signorum quibus Phrenitidem adesse cognoscimus, quamvis explicatio haud parum difficilis ac incerta est, reddere incipiam.

Pyrexia Vehemens.—Quae causa pyrexiae proxima sit, sive aliquid noxae in corpore latens, sive lentor fluidorum, vel spasmus vasorum extremorum, parum adhuc constat; sed bene notum plus minus pyrexiae omnes fere phlegmasias cum internas tum externas, comitari; aliis levis, aliis tamen multo magis vehemens febris existit, cujus vires e tono generis arteriosi seu diathesi phlogistica in corpore existente magna ex parte pendere videntur; * quamobrem nil mirum erit, pyrexiam adeo vehementem phrenitidi adesse, quoniam nexus tam insignis genus nervosum inter ac

* Vide CULLEN's "First Lines," sec. LXII.

arteriosum intercedit, “ ut hae binae functiones subsidium ferant et petant vicissim, neque altera sine alterius ope perfici queat ;” † itaque quum primum illud inordinatum fit, hoc affectum participans, tumultum, cui pyrexia tribuenda movet.

Dolor Capitis.—Inflammationem externam pariter ac internam plus minusve doloris semper comitatur; quod ad Phrenitidem attinet, ab impetu sanguinis in vasis cerebri dolor pendere videtur; hic impetus primo intendit sensum, qui magis magisque ingravescens capiti invicem impertit dolorem qui tandem intolerabilis ferè evadit.

Rubor Faciei et Oculorum.—Hic fluxu sanguinis in has partes plane nititur, eousque ut vasa primo fluidum sine colore vehentia, sanguine rubro tandem impleantur; quidam vero putarunt, vasa inter inflammationem nova formari: haud raro autem

† Vide GREGORY'S “ *Conspect. Med. Theoret.*” Par. CCCXL.

oculi tunica conjunctiva vasis sanguiferis rubescit, atque ita celeriter post causae excitantis admotum, ut vix ac ne vix quidem satis temporis sit ad vasa nova formanda; rubor igitur potius vasis distentis, quae jam existunt, quam formationi novorum, tribuendus est.

Lucis et Soni intolerantia.—Sensus generis nervosi totius sub Phrenitide manifeste augetur; eoque perspicuum erit, singulos nervos variis organis impensos plus minus affectum generalem participaturos; atque hinc videtur esse ratio cur sensus, auditus scilicet visusque tantum augeantur ut vix ac ne vix quidem soni lucisque impulsum tolerare valeant.

Pervigilium.—Hoc a statu cerebri ita abnormali, ut aequilibrium somnum inter ac vigiliam abrumpatur ac quasi pereat, efficitur. Parum adhuc cognoscitur de conditione qua somnus nititur, sive nervis exhaustis sive cerebri compressione; utcunque vero obscura causa somni proxima sit, bene notum tamen,

multos affectus corporis haud aliter ac mentis somnum morari vel penitus arcere posse; ac iis jam dictis haud mirum erit Phrenitidem, per quam tanta incitatio existat maxime somnum perturbare.

Delirium ferox vel Typhomania.—Sat erit dicere duas delirii species existere, alteram scilicet, multum ferocitatis et incitationis; alteram parum alterutrius, sed potius morositatem et debilitatem ostendentem. Utrumque febribus haud raro existit et plerumque ab imminutione cerebri tensionis nititur; sed quod ad Phrenitidem attinet, impetus caput versus manifeste augetur; sed quoniam commenta medicinae potius nocent, quam prosunt, sic praestat de re adeo obscura opinionem non proponere.

DE DIAGNOSI.

E PYREXIA vehemente, hic morbus maniâ, cui perraro ulla febris adest, facile distinguendus est. Phrenitis, cum delirio febribus continuis haud raro accidente confundi potest; sed hoc interest; delirium, scilicet apud Phrenitidem fere ab ipso morbi initio sese ostendit, dum quod febribus adest per primam accessionem vix aut ne vix quidem apparet: nonnunquam vero Phrenitidi primo deest delirium, atque haud raro quoque Phrenitis, vel initio, vel progressu, ac tum signum maxime metuendum, febrem comitatur; aliquando etiam, maniae accessum praeire solet; quibus omnibus exemplis diagnosin facere parum refert, quoniam rationem medendi eandem esse oportet.

Phrenitis autem, cum illo delirio quod usui liquorum ardentium immodico ac diuturno succedit; sub nomine delirii trementis benenoto,

forsan confundi potest : sed quamvis minime negandum est, alterum alterum nonnunquam referre, nihilominus duo morbi late discrepant ; nimirum, Phrenitidem lucis et soni intolerantia, etiamque capitis dolor vehemens semper comitantur, contra, inter delirium tremens raro haec existunt ; sed potius vigilia et molestia ob aliqua insecta circa cubiculum supposita, ideoque assurgendi desiderium perpetuum, aegrum vexant : praeterea hoc delirium potius incitationis prioris quam signum primarium, effectus esse videtur.

DE PROGNOSI.

PROPTER inflammationis vehementiam, cerebri structuram delicatam, pariter ac morbi celeritatem finem versus exitialem, Phrenitis morbus valde periculosus semper habenda est; ac nisi ad remedia prompta atque valida ad morbum debellandum decurratur, nihil sperari potest, quam morbum usque ad mortem perrecturum: prognosin igitur plerumque infaustam facere necesse est; quia aeger, quamvis morbum superet, aliis morbis minus periculosus quidem sed non eo minus infestis, verbi gratia Maniae, peropportunos est. Auxiliis ad inflammationem debellandam idoneis mature fortiterque adhibitis, et jam incitationis signis quodammodo sublatis; prognosis magis fausta de morbi exitu, semper vero caute, ducenda est; nam saepe accidit, ut capitis vitia qualia aspectu primo nihil formidinis ferunt, aegrum e medio tollere valeant.

DE NOTIS, CADAVERE APERTO, OBSERVANDIS.

QUUM primum calvaria summovetur, cerebrum pariter ac ejus membranae inflammationis notas, nimirum vasa utriusque sanguine turgida, ac simul plus minus effusionis lymphae ostendere solent. Cum dura mater inflammationis sedes fuit, haec membrana multis vasis sanguiferis eam inter ac cranium obessa videtur: interdum dura mater cum materia purulenta in ejus superficie interna, aliis membranis haeret. Cum tunica arachnoidea inflammata fuit, haec membrana crassa est atque seri effusio tunica excisa emanantis, eam inter ac duram meningem: sed adhuc nulla vasa sanguifera huic membranae propria inveniri solent. Nonnunquam huic membranae granulationes leves, nimirum cerebri tubercula adsunt, atque membrana ipsa haud raro durae meningi nectitur.

Cum piam matrem invadit inflammatio, ejus facies vasis sanguinem ferentibus dense operitur. In quibusdam exemplis pseudo-membrana durae matri subjacere videtur. Pus pariter ac abscessus cerebri inflammationi aliquando succedunt. Concretiones in sinibus durae meningis atque cerebri ipsius mollities post inflammationem hujus organi nonnunquam videntur, quorum exemplum ex operibus clari MORGAGNI extrahere liceat, aegri annos triginta quinque nati Phrenitidi succumbentis: Sic historia capitis sectionis tradiditur. “Dum e cranio cerebrum eximebatur, paullulum seri ex meningibus emanavit. In durae singulis majoribus sinibus erant concretiones polyposae; molle fuit cerebrum totum, in sinistro autem ejus ventriculo plexus choroides multum varicum instar turgebat.”*

* MORG. de Causis et Sedibus Morb. Epist vii. par. 4.

DE CURATIONE.

QUONIAM cujusque medici boni atque solertis est, quatenus facultas erit, morbis, quibus genus humanum obicitur, mederi; sic eos, qui plurimum periculi afferant, quam primum summovere vel saltem levare, oportet. Ex supradictis plane patebit, Phrenitidem, cum ob partem affectam, tum morbi progressûs celeritatem, auxilia valida atque prompta postulare, ad ejus exitum exitialem prohibendum.

Ratio igitur medendi constat, in usurpando remedia quae, in sanguinis minuendo impetum in cerebrum, maxime valent.

Ad hoc propositum; sanguinis detractionibus copiosis atque subinde repetitis statim uti necesse est. Sanguinem vel ex arteria temporali, vena jugulari externa, vel brachio mittere licet; sed vena brachii maxime convenit quia pressura ad compescendum fluxum ex

arteria temporali vel vena jugulari accommodata, non semper incommodo caret. Ex quacunque parte mittatur sanguis, copia, ab aetate viribusque aegri, pariter ac gravitate signorum et morbi stadio, pendeat oportet. Cum aeger debilis est, atque eo venaesectiones iteratae vix aut ne vix quidem fieri queunt, tunc multas hirudines vel cucurbitulas cruentas capiti admoveere necesse est. At si detractio sanguinis his variis modis nihil auxilii praestat, ad alia remedia, quamvis multo minus efficacia, statim confugiendum est. Imprimis caput ad cutem usque radendum ut auxilia facilius admoveantur; deinde calvariam, linteis in aquam frigidam vel aquam cum aceto, demissis; ac brevibus intervallis, reffectis, tegere oportet.

Purgantia, cursum fluidorum ad alias partes dirigendo, cerebri inflammationi bene accommodata nunquam in hujus morbi curatione, negligenda sunt. In Phrenitide alvus propter secretionem intestinorum minutam aegre movetur; igiturque, purgantia, maxime

acria seligere decet : ad hanc rem, quaedam purgantium drasticorum, sicuti Convolvulus Jalapa ; Scammonia ; Stalagmitis Cambogoides ; Cucumis Colocynthis ; Momordica Elaterium ; Oleum Crotonis ; Submurias Hydrargyri seu Calomelas, usurpentur. Haec medicamina, vel seorsim, vel alia cum aliis commista, verbi gratia, grana Calomelanos quinque, cum Jalapae scrupulo, pro dosi devorare licet. Sales neutri Phrenitidis curarioni perutiles sunt: Sulphas Sodae ; Sulphas Magnesiae ; Tartras Potassae et Sodae ; Tartras Potassae ; Phosphas Sodae, ad alvum ducendam maxime usurpati sunt. Haec, haud secus quam purgantia drastica, vel seorsim vel Sennae commista atque copiâ aquae idonea soluta, intervallis brevibus usque ad catharsin haurire oportet ; simul enemata purgantia ad horum medicaminum effectum augendum, admodum utilia existunt. His auxiliis, proxima emplastra vesicatoria quae inflammationem externam movendo, atque ita irritationem contrariam ciendo, curationi phrenitidis valde prosunt, ideoque nunquam non usurpanda. Imprimis, summo capiti emplas-

trum satis amplum ac si stupor vel coma accidit, tum super caput totum emplastrum permagnum imponere opus est. Inter haec auxilia aegrum prope erectum aëri frigido exponere, atque simul, potus acidulos, frigidos ad libitum bibere oportet. Quidam putârunt pedes ipsos in aquam calidam immersos haud parum commodi praestare, sanguinis scilicet fluxum ad eas partes movendo atque ita ejus impetum à capite summovendo. Ex iis autem dictis perspicuum erit, quibus remediis potissimum fidendum ; haec sunt, detractio sanguinis, cùm generalis tùm localis : medicamenta purgantia : emplastra vesicatoria : frigus corpori, praesertim, capiti, admotum ; atque aliquando forsân pediluvium. Non ex usu eorum pro re nata sed continuo, atque pertinaci, exitum morbi felicem sperare licet : opiata quamvis utilia in morbis quibusdam, nunquam Phrenitidi permittenda ; cum haud secus ac in aliis phlegmasiis, anxietatem atque omnia intendunt. Inter convalescendum diaeta parca uti, atque omni stimulante caute abstinere decet.

Semel Phrenitide implicatis, semper postea
 causae excitantes, quantum fieri possit, evitari
 debent.

FINIS.